

XI. Ex hac autem consequentia, quæ omnino indubitata est, sequitur alia non minoris certitudinis: ergo essentia divina ex vi sui formalissimi conceptus, et ante conceptum relativum est subsistens. Patet ista consequentia, quia conceptus, qui ex vi sua petit, et habet existentiam cum exclusione omnis modi imperfecti existendi in alio, sive tamquam pars, sive tamquam accidens, ex eodem conceptu habet modum existendi perfecte, et per se, et tamquam quod, qui est modus subsistentiæ, quatenus subsistentia dicit modum existendi per se exclusivum modi existendi in alio: nam impossibile est illum conceptum qui includit esse cum tanta perfectione quod excludit omnem modum existendi in alio, non includere modum existendi per se, quia modus existendi in alio excluditur a modo existendi per se, sed conceptus essentiæ ante relationes includit esse, quia est actus purus, et excludit omnem modum existentiæ in alio: ergo idemmet conceptus includit modum existendi per se, et subsistendi: subsistere enim est esse per se.

XII. Dices: Conceptum illum essentiæ non includere modum existendi per se formaliter, sed solum radicaliter, et pro alio posteriori conceptu formaliter: pro illo autem conceptu nondum formaliter explicatur, neque modus existendi in alio, neque per se, sed formaliter, et quasi in quarto modo per se neutrum explicat pro illo signo, licet radicaliter jam includat modum existendi per se, et radicaliter excludat modum existendi in alio: sed formaliter illum modum subsistendi habebit per conceptum relationum: nam relationes etiam ad perfectionem Dei pertinent: et sic non est inconveniens quod sub aliqua præcisione nondum intelligatur

essentia cum ista perfectione modi existendi per se, sed solum cum conceptu ipsius esse, et essentiæ: explicatur autem modus iste subsistendi in alio conceptu, sicut explicatur modus personalitatis incommunicabilis, et sicut in conceptu naturæ, et intellectualitatis divinæ nondum intelliguntur actus volendi, licet sit perfectio intellectualitatis, sed sufficit quod radicaliter contineatur in ipso intelligere. Et hac solutione enervat opposita sententia omnia argumenta quæ ex perfectione divinæ essentiæ deducuntur: fatetur enim subsistentiam pertinere ad perfectionem, sed negat debere formaliter explicari hanc perfectionem in omni conceptu, et præcisione, sed sufficit radicaliter contineri in conceptu essentiæ, explicari vero formaliter in conceptu posteriori personæ.

XIII. Sed contra hanc solutionem instauro argumentum, et confirmo (est enim in hoc totus cardo, et punctus difficultatis) quia in formalis conceptu essentiæ non solum radicaliter, sed formaliter explicatur ipsa existentia, et ipsum esse actus puri: ergo etiam explicatur modus essendi per se, qui est subsistentia. Probo consequentiam, quia in illo conceptu explicatur esse, seu existentia ut essenziale prædicatum divinitatis: ergo explicatur modus essentialiter conveniendi, quia convenit in primo modo per se, et explicatur modus singularitatis, quia ille conceptus divinæ essentiæ non est communis, sed individualis, et singularis: ergo etiam explicat modum non existendi in alio, sed subsistendi per se, qui inter modos per se a philosopho enumeratos est tertius. Patet hæc consequentia, quia existentia concepta in singulari, seu cum modo singularitatis, et cum connexionione essentiali, et per se, cum ipsa divinitate, imo quæ est ipsa di-

vinitas, ex vi talis conceptus, et sine additione alterius, habet summam independentiam ab alio conceptu posteriori, nec per illum explicatur aliqua ejus major independentia, ut exerceatur, quia hoc ipso quod existentia per se, et essentialiter convenit essentiæ, independens redditur ab omni alio, ut conveniat, et exerceatur in ipsa essentia, et similiter explicatur in illo conceptu, non solum radicaliter, sed etiam formaliter quod ille conceptus sit actus purus, et infinitum esse. Ergo non dependet ab alio conceptu posteriori, ut formaliter sit subsistens, et explicetur modus subsistentiæ. Nam modus subsistentiæ, ut dicit hoc quod est existere per se, non explicatur alium conceptum, quam modum singularitatis cum independentia ab alio in existendo, et in exercendo ipsum esse: nam iste modus est modus existendi, non in alio, sed per se, hoc autem habetur formaliter per formalem conceptum ipsius esse ut independentis, ut autem illud esse formaliter explicetur ut independens, non debet expectare ulteriorem conceptum, sed sufficit essentialis connexio, et per se cum essentia, seu potius quod ipsum esse sit essentia.

XIV. Quod si instetur in ipsa personalitate ut relativa, et incommunicabili: Nam etiam hæc pertinet ad perfectionem existendi, nec tamen convenit ex vi conceptus essentialis, sed ex vi relativi, respondetur esse disparem rationem et valde notandam differentiam, quia essentia ex relationibus non habet perseitatem, et independentiam in esse, sed distinctionem, et oppositionem incommunicabilitatis relativam. Non autem est conditio, aut prærequisitum ad habendum esse per se, et independentem ipsa relatio, et ejus incommunicabilitas. Unde ex incommunicabili-

tate non ponitur ratio existendi, nec ejus perfectio, aut independentia crescit, sed ipse modus habendi existentiam per se, et non in alio pertinet ad modum perfectionis, et independentiæ intimæ ipsius existentiæ, quia non potest intelligi ut plena, et perfecta si est in alio, et si est summe independens et perfecta, non potest intelligi nisi per se, nec indiget termino incommunicabili ut per se sit, sed ipsa summa independentia, et essentialis connexio existentiæ cum essentia reddit illam per se, quia ad per se formaliter, sufficit non per aliud, nec in alio: esse autem cum summa independentia, summo modo, et formalissime, excludit omne quod est per aliud, vel in alio, quia isti sunt modi dependentiæ, et inferioritatis in esse: per se autem, et sine dependentia ab alio subjecto, vel composito, aut termino pertinet ad perfectionem ipsius esse, quia pertinet ad exclusionem modi imperfecti, qui est in alio. Relativa autem incommunicabilitas, et distinctio non pertinet ad exclusionem imperfectionis, seu modi imperfecti existendi, qui est in alio, vel per aliud, sed ad multiplicationem suppositorum, et Personarum. Multiplicatio autem Personarum pertinet quidem ad fecunditatem, et abundantiam perfectionis in ipsa deitate, sed non ad primum fundamentum perfectionis, quæ est per exclusionem imperfectionis. Et ideo magis intime pertinet modus perseitatis in existendo, quod est subsistere, quam modus incommunicabilitatis suppositi, seu Personæ, quod est sic relative terminari. Et ideo subsistentia pertinet formaliter, et non radicaliter solum ad primum fundamentum essentiæ divinæ, et ad ipsam intimam rationem existentiæ, ut summe id dependentis in esse, et ut actus purus est, quia esse per se direc-

te, et formaliter non solum radicaliter excludit imperfectionem existendi in alio, et per aliud; esse vero incommunicabiliter in pluribus relationibus pertinet ad puram rationem terminandi, et multiplicandi Personas, in quibus est ipsa natura, quod pertinet ad abundantiam, et fecunditatem. Prius est autem in re perfecta excludere omnem modum imperfectionis, quam extendere, et multiplicare fecunditatem.

COROLLARIA EX DICTIS.

Unde deducuntur tria valde notanda, quæ magis explicant vim solidam hujus doctrinæ D. Thomæ.

XV. Primum, est quod esse, seu existentia, ut sæpius dicit D. Thomas est propria suppositi, seu subsistentis, quod adeo verum est quod esse divinum quod est in Deo prædicatum essenziale, et convenit ipsi naturæ divinæ quidditative, necessario supponit rationem subsistendi in ipsa essentia, nec conveniret illi, nisi subsisteret. Itaque cum natura, seu essentia divina sit id quo Deus est, et id quod est per seipsam, et ab intrinseco, tamen ipsum esse, seu ipsa existentia a se non correspondet divinæ essentiæ quatenus consideratur ut principium quo existendi, sed quatenus consideratur ut principium quod subsistens. Et ita in doctrina S. Thomæ est solida consequentia, cui convenit esse simpliciter, præsupponitur convenire subsistere, seu esse principium quod, et habens modum per se existendi, atque ita subsistentia non potest esse conceptus consecutus, et posterior ipso esse, sed antecedens, et præsuppositus, et sic si conceptui divinæ essentiæ convenit formaliter, et non radicaliter ipsum esse, seu existentia, neque subsistentia convenit

radicaliter, et pro alio posteriori conceptu, sed antecederet, et prærequisitum; atque adeo a fortiori convenit formaliter.

Ratio est, quia esse est prædicatum essenziale divinitatis, non quomodocumque, sed ut perfectum, et independens, et in actu puro, ita quod istæ conditiones perfecti, et independentis esse, non radicaliter solum, sed formaliter habeantur, et concomitentur ipsum esse, quia formaliter, et non radicaliter est actus purus. Inter istos autem duos conceptus, scilicet formæ ut quo aliquid est, et formæ ut quod est, perfectius, et independentius, et formaliter est habere esse ut quod, quam ut quo, si quidem esse ut quo ordinatur ad esse ut quod: hoc enim simpliciter est. Unde ut esse intelligatur simpliciter, et perfecte, atque independenter debet convenire alicui ut quod, et non præcise respondere conceptui formæ ut quo. Vera est igitur hæc propositio quod esse, seu existentia, ut perfecta sit, et simpliciter ac independenter dicatur aliquid esse, debet supponi quod se habeat tamquam esse quod, non ut ratio habendi ut quo. Et sic modus subsistendi, seu habendi se ut quod, præcedere, et prærequiri debet ut aliquid habeat esse simpliciter, et perfecte, ita ut sit id quod est, non id quo est tantum. Esse autem subsistenter, et esse ut quod idem est, quia id quod est ut quod, est per se, et non in alio, id autem quod tantum se habet ut principium quo existendi, ex vi talis conceptus non excludit esse in alio, vel tamquam pars componens, vel tamquam accidens inhærens, quia omnia ista habent esse ut quo. Incipit autem discerni id quod simpliciter est, ab eo quod imperfecte est, per hoc quod est habere esse ut quod. Cum ergo in formali conceptu essentiæ divinæ intret esse simpliciter, et per-

fectum, et quod est actus purus, in illo conceptu præsupponitur modus ipse, et ratio habendi se ut quod, seu subsistendi.

XVI. Secundum quod colligimus est, quod in divinis relationes terminantes, et incommunicabiles, quod pertinet ad rationem personæ, non sunt medium, et prærequisitum ad habendum esse, sicut in rebus creatis suppositum præcedit ipsum esse, nec dicitur aliquid simpliciter esse, et existere nisi suppositum quod dat perseitatem, et completum modum existendi ipsi substantiæ. Et hoc ideo, quia existere simpliciter, et perfecte non invenitur in rebus creatis, nisi tamquam prædicatum contingens, et dependens, ac derivatum ab agente. Unde cum agens non producat rem in facto esse, et ut quod productum nisi ipsum suppositum, huic etiam communicat per se, et directe esse, et non dicitur aliquid esse nisi præsupponatur terminative suppositatum. At vero in Deo cum ipsum esse sit a se, et independens, ac simpliciter, et perfectissime existens, non dependet a terminatione relativa, et suppositali quod illud esse habeat perfectum modum essendi, et tamquam quod, quia ex se est ipsum esse perfectissimum, atque adeo cum modo perfectissimo, qui est per se. Relativæ ergo terminationes, et personales modi consequuntur in Deo ad ipsum esse, non præcedunt, scilicet ex abundantia, et fecunditate ipsius infiniti esse, quatenus continet non solum genus absolutum perfectionum, sed etiam relativum: et sic oportet quod essentia identificetur ipsis, et eis det esse per summam identificationem, ipsæ vero relationes inter se opponantur, et distinguantur, quod est incommunicabiliter se habere. Unde hoc ex consequenti se habet in divina substantia, et ex

abundantia ipsius esse, non ut prærequisitum, ut esse divinum sit esse independens ex se, et ut quod.

XVII. Tertium quod colligimus est, non esse in Deo quatuor distinctas subsistentias, licet detur subsistentia absoluta, quia illa identificatur cum tribus relativis, nec opponitur illis; et sic non fecit numerum cum illis, sicut essentia, et relationes non sunt quatuor res, sed tres res, et una summa res quæ identificatur cum illis; quod provenit ex appellatione illius termini numeralis quatuor, qui appellat supra distinctionem, et rationem formalem distinguendi, quæ est oppositio, et ubi nulla est oppositio, nulla est numeratio. Subsistentia autem divina, sicut et essentia nullo modo opponitur tribus subsistentiis; et sic non facit numerum cum illis. Secus est de relationibus, quæ sunt quatuor, licet non quatuor Personæ, quia sunt quatuor oppositæ terminationes, et inde denominatur numerus relationum, licet spiratio activa, quæ spirationi activæ opponitur, identificetur cum paternitate, et filiatione; et sic non est ex omni parte incommunicabilis, sed solum spirationi passivæ, et hoc sufficit ut relative multiplicetur ratione terminationis diversæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Objicis primo ex Vasquez: Subsistentia secundum communem usum loquendi Ecclesiæ, et sanctorum patrum est idem quod hypostasis, sed in Deo, ut communi tribus Personis, non datur una hypostasis absoluta: ergo neque subsistentia. Minor est D. Thomæ infra qu. XL, art. III, ubi docet quod remotis proprietatibus personalibus non remanet intellectus hypostasis:

hypostasis enim significat aliquid distinctum in divinis, cum sit substantia individua; et sic idem est conceptus hypostasis atque personæ; et sicut non datur in Deo una Persona, sic neque datur una hypostasis. Major autem probatur ex communi usu patrum. Nam in epistola Agathonis papæ, quæ habetur in sexta Synodo, actione quarta, indiscriminatim hypostasis vocatur persona, ita quod correspondet hypostasis personalitati seu subsistentiæ. Et Martinus I, in Concilio Lateranensi, consultatione v, canone I, explicat quomodo sit unitas in Trinitate, dicens quod: « Est Deus in tribus subsistentiis, quasi Græce dicatur hypostasibus. » Et in edicto fidei Justiniani imperatoris ad Joannem II, dicitur quod: « Omnes sancti patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, sive substantiam, et formam, aliud subsistentiam, sive personam. » Semper ergo sumitur subsistentia ex parte hypostasis sive personæ, non ex parte essentiæ sive substantiæ quæ tribus Personis communis est. Idem docet Damascenus lib. de decretis primæ institutionis c. II: « Unusquisque homo est hypostasis, id est, res per se existens. » Et clarius S. Athanasius sermone in evangelium de sanctissima Deipara: « Hypostasis, inquit, sua interpretatione significat id quod subsistit. » Sic ergo cum non debeamus in alia significatione accipere subsistentiam, quam in ea quæ est in usu patrum, et Conciliorum, et Ecclesiæ, præsertim post compositam litem, quæ olim in Ecclesia orientali fuit de hoc nomine hypostasis, non possumus nos ad libitum uti nomine subsistentiæ, et eam ponere absolutum in Deo, cum non ponamus hypostasim, nec personam absolutam.

XIX. Respondetur negando majorem, vel potius distinguendo: si

subsistentia sumatur pro subsistere incommunicabili, et terminato, sic est idem quod persona, seu hypostasis; et sic sunt solum tres subsistentiæ relativæ in Deo. Si sumatur subsistere pro eo quod est præcise existere per se, seu existere ut quod, et independentem ut contraponitur ei quod est existere in alio, seu per aliud; sic non dicunt patres quod subsistentia est idem quod hypostasis, quin potius oppositum insinuant, præsertim Hieronymus, Hilarius, Augustinus et D. Thomas. Nam S. Hieronymus in epistola LVII ad Damasum, hypostasim non dicit esse idem quod subsistentiam, sed idem quod substantiam, seu usiam, juxta sæcularium litterarum eloquentiam: « Tota, inquit, sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit. » Et certe interpretatio Græca illi e Latino correspondens magis substantiam sonat, quam subsistentiam. Dicitur enim *ὑπόστασις* seu *ὑπουσία* ab *ὑπό* quod est sub, et *ούσία* quod est essentia, quia subusia, vel subessentia, quod directe est substantia. Et sic D. Thomas in hac quæstione XXIX, artic. II ad II, et articulo III ad III, docet quod substantia secundum propriam significationem correspondet hypostasi. Et quia nomine substantiæ nos significamus essentiæ, contendebant olim Ariani sub hoc vocabulo hypostasis, tres substantias, seu usias, et essentias in Deo introducere; propter quod dicit Hieronymus ibidem sub hoc nomine hypostasis venenum latere, quia videlicet illo directe significabatur substantia, et non ita clare subsistentia. Loquendo vero de subsistentia, ut a nobis accipitur, subdit Hieronymus loco citato: « Una est Dei, et sola natura, quæ vere est; id enim quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est. » Ubi

yl natura quæ vere est, idem est ac

natura quæ perfecte est, quæ simpliciter dicitur esse, et non in alio esse. Et cum addit: « Id quod subsistit, non aliunde habet, » ly non aliunde, intelligitur non ex alio conceptu, sed ex proprio talis naturæ. Fatetur ergo in Deo absolutam subsistentiam, seu inesse naturæ, quidquid sit de significatione hypostasis, quæ tunc ambigua erat, nec sumebatur etiam ab illis antiquis pro subsistentia, quæ est esse per se, sed pro substantia, vel persona. Et dicebant catholici, ut ibi refert Hieronymus: « Si hypostasis est substantiæ, non sunt tres hypostases; si persona subsistens, sunt tres hypostases. » De subsistentia vero non personali, sed pro per se existente, et ut quod, non controversia, sed asserta fuit a patribus, ut patet in Hieronymo citato.

XX. Idem dicitur ex Hilario VII, de Trinitate, circa finem ubi loquens de Patre, et Filio dicit: « Inesse sibi invicem ut subsistentiæ naturæ habeant perfectam unitatem, » vel, ut alii legunt, subsistentis naturæ: idem enim sensus est quod sit naturæ subsistentis unitas, vel subsistentiæ naturæ: si enim natura est subsistens, datur subsistentia naturæ. Et subjicit Hilarius de natura divina: « Ita esse ac subsistere, ut in subsistente insit, ita vero inesse, ut et ipsa subsistat. » Item Augustinus VII de Trinitate, cap. IV: « Omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus, » quæ propositio affirmativa non tollit quod etiam relative subsistat, sed affirmat quod etiam absolute, ut omittam dictum Agathonis papæ in epistola quæ habetur in sexta Synodo, act. IV, ubi dicit: « Tres Personas esse nnum Deum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum seu Personarum unam subsistentiam. » Sic enim habet an-

tiqua lectio, nova vero quæ habetur in Conciliis Coloniae 1606, legit: « Trium Personarum unam substantiam; » sed non præjudicat hæc lectio priori: quare enim condemnabimus antiquam lectionem tot annorum usu firmatam? De sensu D. Thomæ jam satis diximus. Quare constat patres si quando videantur negare in Deo subsistentiam unam, loqui de subsistentia personali, et completa, non de subsistentia incommunicabili Personis. Non autem hypostasis postea ex communi usu Ecclesiæ pro personali supposito, seu subsistentia completa sumptum est, et in hoc sensu loquuntur auctoritates adductæ a Vasquez, sicque substantiæ nomen pro usia seu essentia, hypostasis pro persona in Ecclesia relictum est.

Quod vero quidam respondent ad nostras auctoritates sumere patres aliquando subsistentiam pro substantia, vel subsistere pro existere, et sic unum in Deo fatentur, omnino futile est: cur enim patres non loquentur etiam proprie sumendo subsistentiam, et subsistere pro per se existere, quod non est solum existere, sed modus existendi, scilicet per se, nec est substantia solum, sed cum modo, scilicet per se, licet communicabiliter? Hoc enim negare patribus, est negare eis proprietatem locutionis, et ad impropria divertere.

XXI. Secundo arguitur pro sententia Vasquez; Quia essentia divina secundum se, et præcisis relationibus potest quidem considerari ut existens, quia est actus purus, et non est in statu puræ possibilitatis, sed tamen illa essentia sic considerata non potest considerari ut per se, sed ut communicabilis tribus Personis, in quibus esse dicatur: ergo prout sic non concipitur cum modo existendi per se, atque adeo neque cum subsistentia absoluta,